Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1789
Quelle:
Copyright:



*hunc mundum processi. Illi dixerunt. Vbi est regio tua?* ℟. *Ubi uxorem ibi etiam habeo regionem.* Atque ita longum de variis materiis physicis, moralibus, etiam biblicis plerumque per aenigmata examen ingrediuntur. Legas hic primum Subdiaconum *Lupum*, primum Lectorem *Abraham*, primum Hostiarium *Trouulfum*, tres Magos *Patisarsa*, *Melchio*, *Casper*, duos Latrones cum Christo cruci adfixos *Jonatham* et *Gamatram* &c. Si *Epicticus* noster, quod suspicor, ex *Epicteto* fictus est, quantum ille differt a claudo *Epaphroditi* Servulo!

X. *fol.* 65. p. 2. Brevis XII. *Lapidum Apocalypticorum* Descriptio cum allegorico eorundem Significatu, e quodam in *Apocalypsin* Commentario, ut videtur, excerpta, quae incipit: *Jaspis qui primus ponitur in ordine lapidum. coloris uiridis est. et significat uirorem fidei. que uiridis est. quia emittit flores bonorum operum.* &c.

XI. *fol.* 67. Eadem materia tractata metro, Hexametris videlicet CXVI. quorum initium:

*Hic lapidum varius color est et mistica uirtus.*
*Quid loca significent versus quid in ordine signent.*
*Floridus est iaspis equidem uiridisque coloris.*
*Iste fidem signat quam gratia pingit et ornat.*
*Est habitu crasso nimium similisque smaragdo.*
*Dicitur sic a se fantasmata pellere longe.* &c.

et finis:

*Agmen et angelicum lapis indicat ultimus horum.*

Per decursum citatur *Arator* Sec. VI. Poeta. Autorem ignoro; neque enim *Marbodus* ille *Gallus* est, cujus Editionem principem recensui ad an. 1511. *in Hist. Typogr. Vien.* P. I. p. 55. neque Autor *Lapidarii omni voluptate referti*, quod ibid. p. 311. indicavi.

DCCXLIII.

R. 3330 Codex membraneus lat. Sec. XIII. XIV. et XV. Folior. 115. 4. plurimum lineis longis exaratus, rubroque distinctus, eleganti manu Sec. XIII. primum inscribitur: *Incipit tractatus Magistri Johannis de deo decretorum doctoris de penitentia.* Ita: *Uenerabili patri ac domino A. diuina prouidentia Ville* (non urbis) *Bonon. episcopo* — &c. *Ea est regula ueritatis a patribus approbata* &c. Tò *A.* librariorum est; nullus enim *Bononiae* Episcopus circa a. 1247. quo scripsit *Johannes* noster *Ulyssiponensis*, nomen ducit